



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola X. Caelestini Papae III. Ad Hvbervm Cantvariensem  
Archiepiscopvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

FRAGMENTVM EPISTOLÆ IX.  
CÆLESTINI PAPÆ III.  
AD ARCHIEPISCOPVM SENONENSEM.

*Iubet vt Francorum regem moneat recipere uxorem prætextu  
consanguinitatis dimissam.*

Nos itaque, qui ipsum regem Francorum specialiter in visceribus nostris caritatis diligimus, per dilectum filium nostrum C. subdiaconum apostolicæ sedis legatum, ad hoc specialiter missum, rogauimus eundem, vt reginam suam, quam a se consilio iniquo amouerat, affectu maritali tractaret: nec illis aures accommodaret qui pro lucro reputant, si possunt inter aliquos odium & discordiam seminare. Inde est quod illam diuortii sententiam, contra iuris ordinem prolatam, de fratrum nostrorum consilio penitus irritantes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus firmiter & præcipimus, quatenus, si prædictus rex, ista viuente, aliam superducere voluerit, vos auctoritate apostolica id eidem inhibere curetis.

EPISTOLA X.

CÆLESTINI PAPÆ III.  
AD HVBERTVM CANTVARIENSEM  
ARCHIEPISCOPVM.

*De negotiis terræ sanctæ.*

**V**os autem, fratres archiepiscopi & episcopi, quibus cura animarum & sollicitudo commissa est, precibus instantes ad Dominum incessanter, subditos vobis populos inducatis, vt assumpto crucis signaculo ad confutandos fidei Christianæ persecutores accingantur. Speramus siquidem, & vos sperare debetis, quod Dominus in verbo prædicationis & orationis vestræ rete laxabit in capturam, & tales ad defensionem orientalis prouinciæ propitius excitabit, quorum potius exigentia meritorum, quam armorum fiducia exurget Deus, & inimici eius dissipabuntur, & fugient a facie eius qui oderunt eum. Nos autem illis, qui pro diuinitatis amore huius peregrinationis laborem assumere, &, quantum in se fuerit, implere

studuerint, de indulto nobis a Domino auctoritatis officio illam remissionem impositæ pœnitentiæ per sacerdotale ministerium facimus, quam prædecessores nostri suis noscuntur temporibus statuisse: vt videlicet qui corde contrito & humiliato spiritu laborem huius peregrinationis assumpserint, & in pœnitentiam peccatorum hoc iter expedierint, si in fide decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam, & vitam consequentur æternam. Bona quoque ipsorum, ex quo crucem acceperint, cum familiis suis sub Romanæ ecclesiæ, nec non & archiepiscoporum, aliorumque ecclesiæ prælatorum protectione consistant, & nullam de his, quæ in susceptione crucis quiete possederunt, (donec de ipsorum reditu vel obitu, certissime cognoscatur) iacturam vel perturbationem sustineant vel quæstionem, sed bona ipsorum integra remaneant interim & quæta.

Illi autem qui in subsidium terræ illius de bonis suis illuc transmiserint de peccatis suis veniam consequentur, iuxta moderamina prælatorum. Hunc tibi, frater archiepiscope, oneris huius laborem duximus iniungendum, mandantes, vt apud carissimum in Christo filium nostrum illustrem Anglorum regem, qui terram sanctam sub trium statuit treguis annorum, vt ad defensionem illius terræ milites & pedites bene instructos transmittat, assiduis exhortationibus elaboret: prouinciam circumiens Anglicanam, opportunis & importunis prædicationibus instet, vt pro defensione Christianitatis assumpto crucis signaculo, terram visitent transmarinam.

## EPISTOLA XI.

## CÆLESTINI PAPÆ III.

AD SIMONEM DECANVM EBORACENSEM.

De administratione eiusdem diœcesis.

*Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Simoni  
decano Eboracensi salutem & apostolicam  
benedictionem.*

**C**VM vniuersalis ecclesiæ regimen nobis licet insufficientibus diuina fauente gratia sit commissum, & sin-